

41

26

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULA XV—XVI.

TITUS VESPASIANUS STROZZA

BORSIAS (FRAGMENTA)

BUCOLICON LIBER

EDIDERUNT
IOSEPHUS FÖGEL ET LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXXXIII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULA XV—XVI.

TITUS VESPASIANUS STROZZA

BORSIAS (FRAGMENTA)

BUCOLICON LIBER

EDIDERUNT
IOSEPHUS FÓGEL ET LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXXXIII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

EXCUSEBÁT IOSEPHUS KERTÉSZ, KARCAG (HUNGÁRIA)

INTRODUCTIO.

*I. De vita et operibus Titi Vespasiani Strozzae.*¹

Titus Vespasianus Strozza e gentis Florentinae nobilis stirpe, quae a. 1399. Ferrariam commigravit, a. 1425. Ferrariae natus est. Parentes eius Ioannes et Constantia de Costabilibus erant. Puer parentibus orbatus in schola Guarini Veronensis studiis humanitatis erudiebatur et ibidem cum Basinio Parmensi et Iano Pannonio (postea episcopo Quinqueecclesiensi in Hungaria) et Roberto Urso et Ludovico Carbone et aliis amicitia iungebatur. Inter sodales mox eminent et carmina iuvenis 16 annorum Ferrariae iam nota erant. 45. annum agens uxorem duxit et in praediis, quae circa Ferrariam erant, res familiares administrans carminibus condendis vacabat. A. 1471. legatus Romae moratur. A. 1475. Rodigii (Rovigo di Polesina) locumtenens electus est. Verisimile est eum intra annos 1482—84. tempore belli inter Venetos et Ferrarienses orti virum consilii militaris fuisse. Ante pacem (1484.) Lugi (Lugano) locumtenens factus est. A. 1485. iterum legatus ad papam Innocentium VIII. mittitur. A. 1497. tribunus duodecim sapientum creatur. Mox (circa annum 1500.) temporibus ingravescentibus una cum magistratu propter tributa populo Ferrariensi in visus fit; exinde a rebus publicis recessit et studiis poeticis se totum dedit. Octoginta annos natus (a. 1505.) Ferrariae peste periit ibidemque sepultus est. — Filius eius erat Hercules Strozza ille poeta praeclarus meritis poeticis patre haud posterior.

Opera eius memoratu digna: Aelostichon libri IV. — Borsias (fragmenta e libris I. et V.)² — Bucolicon liber.³ — Epigrammatum liber. — Epitaphiorum liber. — Eroticon libri IX. — Sermonum liber.

¹ De Tito Vespasiano Strozza v. copiosius: R. Albrecht, Tito Vespasiano Strozza. Ein Beitrag zur Geschichte des Humanismus in Ferrara. Leipzig, 1891. — A. Della Guardia, Tito Vespasiano Strozzi. Poesie latine tratte dall'Aldina e confrontate coi codici. Modena, 1916.

² Strozza a. 1460. Borsiaden componere orsus est; in duodecim libris gesta Borsii ducis se versibus persequi in animum induxit. Borsio mortuo (a. 1471.) quattuor libri finiti sunt et a. 1486. iam novem libri ad finem perducebantur. Tum opus intermisit et solum ultimo anno vitae suae (a. 1505.) iterum assumpsit. Fragmenta decem librorum ab eo relicta sunt, quorum exemplar quoddam descriptum (v. A. Barotti, Memorie Istoriche di Letterati Ferraresi, ed. II., Ferrara, 1792., pag. 46. et 149.) temporum iniquitate periit. — Tres hexametros Albrecht (Tito Vespasiano Strozza, o. c. pag. 41.) e libro V. esse dicit.

³ Ad nostram aetatem tres tantum eclogae remanserunt, quarum tertia in codice manuscripto titulum eclogae sextae (v. Annot. Crit.) habet. Qui error certe descriptoris est, qui, si codice eclogae 3. et 4. et 5. deessent, notuisset (Della Guardia, o. c. pag. XXVI.).

II. De codicibus fragmentorum Borsiadis et Bucolicon libri.

a) Fragmentum libri I. Borsiadis.

Mutina. Bibl. Estensis. Cod. Lat. 679. *α*. T. 9. 16.⁴ Saec. XV. Membr. Codex e septem opusculis compactus est; tertium est fragmentum libri I. Borsiadis, quod octo folia occupat.

b) Fragmentum libri V. Borsiadis.

Dresda. Bibl. Publica. Cod. C. 105c.⁵ Saec. XV. Chart. Tres versus in oratione Strozzae ad Innocentium VIII. habita (fol. 160v—166r) inserti sunt. Pars orationis haec est: „... Illa amplissima Bonifacii praecessoris quondam tui privilegia in Ferrariensi foro prope auream Alberti marchionis statuum marmoreis tabulis insculpta, de quibus in Borsiade nostra ad ipsius pontificis laudem sic a me dictum est: Parte alia Albertus...”

c) Bucolicon liber.

Mutina. Bibl. Estensis. Cod. Lat. N. 1460. *γ*. A. 6. 16.⁶ Saec. XV. Chart. Bucolicon liber decem folia occupat: Ecl. I. in fol. 1r—4r, Ecl. II. in fol. 4r—8r, Ecl. III. in fol. 8r—10v.

⁴ E quo codice partem fragmenti primum edidit G. Bertoni, *Nuovi studi su Matteo Maria Boiardo* (Bologna. 1904.) pag. 232—35. — Totum Della Guardia, o. c. pag. 218—25. prodidit.

⁵ De quo codice v. R. Albrecht, *Die dresdener Handschrift der Erotica des Tito Vespasiano Strozza* (Romanische Forschungen, Vol. VII.). — Ex hoc codice fragmentum edidit idem, *Tito Vespasiano Strozza*, o. c. pag. 41., comm. 7.

⁶ Eclogam I. ex hoc codice Bertoni in lucem protulit in o. c. pag. 277—81. — Omnes tres Della Guardia in o. c. pag. 204—17. publici iuris fecit.

TITUS VESPASIANUS STROZZA

BORSIAS

(FRAGMENTA)

E LIBRO I.

Origo Estensium principum. Ad divum Herculem.

- Sed, tibi ne penitus prima ignoretur origo
Stirpis Atestinae, seriem decet altius omnem
Discutere ac veterum monumenta referre parentum.
Iam longo annorum spatio primordia quanvis
5 Obsita sint tanti generis, tamen inclyta facta
Virtutesque virum in lucem prodisse videmus.
Argolicis cum iam cecidissent Pergama flammis
Et profugi incerto diversa per aequora cursu
Classibus errarent Teucri, satus Hectore Francus
10 lactatur vento Scythiae glacialis ad oras
Atque illic parvam, ut perhibent, sibi condidit urbem.
Belfortes Franco genitus regionis abhorrens
Saevam intemperiem caligantesque paludes
Concipientesque animo coeptis maiora paternis
15 Aedificat classem, comites sibi deligit et, quo
Fors tulerit, dat vela Notis patriamque relinquit
Et tandem occiduum pelago delatus ad orbem
Litoreos Gallos acri certamine victor
Conantes terrae hospitio prohibere repressit.
20 Nec mora. Pacatis animis in foedera gentes
Finitimae Troesque simul coiere locusque
Condendae datus est urbi campique feracis
Pars in amicitiae pignus prope litora cessit.
Iamque novis sese indigenae Troianaque pubes
25 Connubiis iungunt Belfortisque unica proles
Magni dictus avi Priamus de nomine regnat.
Hinc alios etiam memorant longo ordine reges
Gallorum imperium tenuisse atque omnis, ut aiunt,
Alterius Franci tellus de nomine dicta est
30 Francia, quae post haec auctores sanguinis huius
Protulit. Hac ille est ab origine Carolus ortus,
Carolus armipotens, tua clara, Pipine, propago,
Fortia quem magni decorant cognomine facta.
Nunc vero breviter tibi, qua ratione, quibus res
35 Tanta modis et quo processerit ordine, dicam.

- Gelitia Aglantis Pellaeo sanguine creti
 Filia Rugero nupsit, qui maximus inter
 Gallorum proceres Rissa regnabat in urbe.
 Ille ubi per scelus insidiis atque arte malorum
 40 Occubuit, magno mulier visura parenti
 Regnatam Libyen, Tyriae Carthaginis urbem
 Advehitur iam plena viro partuque soluta
 Edidit in lucem puerum patrisque vocavit
 Nomine Rugerum, miseri solacia casus.
 45 Cesserat e vita genitrix et posthumus infans
 Vix geminos menses totidemque peregerat annos,
 Sanguine et antiquo hospitio coniunctus Aglanti
 Prole carens Atlas sibi mox suscepit alendum,
 Atlas caeliferi Atlantis, quem pulchra parentem
 50 Maia vocat, de gente satus non artis avitae
 Inscius et callens magicos ante omnia ritus.
 Hic leges morum egregias atque optima recte
 Vivendi praecepta dedit magnamque potentis
 Naturae seriem ostendit causasque latentes.
 55 Tum maris ac terrae et caeli quae forma, quis ordo
 Et quo se zonae extendant per sidera tractu,
 Multa requirenti senior monstravit alumno,
 Frigore nam saevo quae non habitabilis et quae
 Torrida sit nimium vicinis solibus ora
 60 Et quae temperiem praestet mortalibus aequam,
 Edocuit puerum caelique arcana reclusit.
 Nec minus, astra, quibus nomen prisca indidit aetas,
 Quantum illuc fas est humanae accedere menti,
 Singula quid prae se ferrent, hoc ille magistro
 65 Edidicit neque eum latuit, sublimis Olympi
 Bis septem insignis stellis qua parte Bootes
 Luceat utque locum genua interpicta nitenti
 Praebeat Arcturo Plaustumque volubile servet
 Atque uti transversa geminas distermine Arctos
 70 Linea ducta nota cristis radiantibus, altum
 Quas inter caput attollit lunonius Anguis.
 Quae lunam solemque suum mutare colorem
 Causa laborantes adigat claramque reducta
 Nondum nocte diem quid tristibus implicet umbris,
 75 Non ignarus erat. Gelido sub Orionis ortu
 Cur tot praecipitent abruptis nubibus imbres,
 Norat, et immenso sitiens cur Sirius aestu
 Ardeat, ut bis sex caelestia signa vicissim
 Orta cadant magnusque suum se volvat in orbem
 80 Annus et una dies semper redeuntibus in se
 Mensibus inserta accrescat, quo debita mundo
 Tempora subsistant studio correctae parentum.
 Talem igitur pacis Rugerum finxerat Atlas

- Artibus et, quoniam fatorum haud nescius illum
85 Noverat exitio Libycis fore gentibus et, quas
Prisca superstitione posuit mortalibus aras,
Eversurum olim, summis in rupibus arcem
Struxit, ubi exigeret secunda per otia vitam.
Quo saltem miseris aliquam, si forte liceret,
90 Adderet ipse moram tali conamine rebus,
Servabatque locum imposito custode neque ulli
Externo patuere aditus, accedere ne quis
Et magni imperio parentem Atlantis alumnum
Mutare aut suadere abitum atque abducere posset.
95 Verum, ubi consilio fatorum infringere legem
Non datur et magicae nequiquam innititur arti
Nec retinere valet precibus discedere certum,
Tristior atque pio pueri commotus amore,
Quo virtus et fata vocant, permittit abire.
100 Iamque recessurum lacrimans his dicitur heros
Ruggerum affatus verbis monitusque dedisse :
„Vade tui memor Atlantis, te numina postquam
Eripiunt mihi, care puer. Mea dicta sub alto
Pectore fixa tibi maneant tecumque revolve,
105 Plurima quae docuit patriis affectibus Atlas.
Nostra sed in primis superos cognoscere facta
Sit tibi certa fides atque intima cernere corda.
Tum cave, te rebus tumidum fortuna secundis
Reddat et implacido perterreat aspera vultu.
110 Non labor ad rectum tendentem aut gratia, non spes
Aut odium mentem infigant, non torqueat auri
Plus aequo te dira fames, non foeda libido
Praecipitem rapiat teque ipsum vincere certa.
Aspera virtutis via segnibus ; haec eadem se
115 Fortibus ostendit facilem superisque reponit
Sedibus illustres animas : sic maximus ille
Amphitryoniades meruit considerare Olympo,
Quem meus Antaeo congressum dicitur Atlas
Spectasse atque illi magno applausisse favore,
120 Cum misceret adhuc dubio certamine pugnam,
Et iuvenem Laribus victorem accepit amicis.
Sic quoque rex Macedum, genitrix tua cuius ab alto
Sanguine deduxit genus, et fortissimus Hector
Et pius Aeneas et bello clarus Achilles
125 Cognati, Rugere, tui crevere suumque
Laudibus aeternis nomen sparsere per orbem
Innumerique duces, quorum dare nomina longum est,
Hanc tenere viam et summo celebrantur honore.
Ominibus vero infaustis crudelia quanquam
130 Te duce fata parant nostras evertere leges,
Non tamen ista tibi infensum me iniuria reddit,

- Parva licet non sit : tantum in me vincula possunt
 Sanguinis et iura hospitii carique labores,
 Quos ego te propter bis denos sedulus annos
 185 Suscepi et nunquam me suscepisse pigebit.
 Adde, quod ingenui mores et amabile cunctis
 Partibus ingenium rabidos mollire leones
 Possint, teque ut ament, Marpesia cogere saxa.
 Tristibus illa quidem restant solacia fatis,
 190 Cum videam, neque enim me saltem haec omnia *fallunt*,
 Quantum et quale decus promittant sidera votis
 Officiosa tuis. Iam nunc immania cerno
 Bella gerenda tibi atque alios emergere ritus
 Hammonemque meum desertis protinus aris
 195 Ire procul video pollutaque linquere regna.
 Gallia certa tibi sedes : hinc ossa parentis
 Rugeri, hinc etiam veniet tibi regia coniunx,
 Nec minus haec eadem iunctos tibi sanguine reges
 Et dedit et posthac tellus dabit, hinc ego prolem
 200 Surgere magnanimam atque Italas regnare per urbes
 Aspicio, cuius proavos atavosque relinquo.
 Nicoleon iam nunc sortes Garamantidos arae
 Et pecudum fibrae manesque aviumque volatus
 Astraque portendunt oculis praesentia nostris.
 205 Urbs Phaethontei clarissima surget ad undas
 Eridani, quae nunc nulla est, ubi pascua late
 Ac nemora et vepres nullisque coercitus amnis
 Aggeribus campos stagnantibus obruit undis.
 Illa patrem patriae, tantum benefacta valebunt,
 210 Nicoleon merita decorabit imagine, quae tunc
 Ante Palatinos spectabitur aurea postes
 Aurato sublimis equo populisque colenda.
 Postque patrem imperium Leonellus et altera proles
 Borsius accipient, Latiae duo lumina terrae.
 215 Nec mora. Succedet, magno qui nomine dignus
 Herculis Herculeos animos imitetur et acta :
 Hoc renovata duce et spatiis ingentibus aucta
 Divorum atque hominum insignis Ferraria sedes ;
 Tunc molem ipsa suam mirabitur et vaga late
 220 Huius fama viri terras, mare, sidera adibit.
 Illius auspiciis pacatae asperrima gentes
 Deponent studia armorum bellicae nefandus
 Terga dabit furor atque Italo pelletur ab orbe.
 Huic patria ingentem viventi grata columnam
 225 Eriget ac rerum varias industria felix
 Nobilium artificum deducet marmore formas
 Spirantesque hominum vultus atque aemula vivis
 Corpora corporibus finget positisque tropaeis
 Incluta magnanimi caelabit principis acta.

- 180 Iam super haec video statuam se tollere equestrem
Clara Corinthiaci superantem signa metalli
Et longa Herculeas testantem in secula laudes.
Quare age, care puer, tantarum gloria rerum
Mox oritura tuis ex ossibus incitet altae
- 185 Ad virtutis opus parituram ingentia mentem
Praemia post cineres etiam mansura nepotum."
Haec ait. Utque gravis possit tolerare labores,
Edocet auratisque pedes calcaribus ornat,
Includit suras ocreis atque aurea firmo
- 190 Subligat hinc atque hinc femorum tutamina nodo.
Mox gravis hamorum nexu lorica trilici,
Aureus extremas ambit cui circulus oras,
Traditur, egregium Gaetuli munus larbae.
Hanc super ipse manu solido thoraca metallo
- 195 Perfectum atque ullis opus haud violabile telis
Aptat et inscriptum signis Phoenicibus ense,
Quem sibi conflatum ad lunam sub sidere Martis
Cantata senior candentem extinxerat unda,
Dat iuveni, cui non chalybum vis ulla resistat.
- 200 Mox humeros geminosque simul tegit aere lacertos,
Arma parat manuum galeamque Pyracmonis olim
Arte laboratam argentoque auroque nitentem,
Puniceis alte surgentem in cornua cristis,
Maurusi spoliū Bocchi largitur et hastae
- 205 Immensum robur, patruī gestamen Atlantis,
Cuspide fatali horrendum penetralibus effert.
Dat chlamyden, Phrygii quam non ignara laboris
Ibia pinxit acu rara celeberrima forma
Orta Tyro clarum ducens ab Agenore nomen
- 310 Per seriem antiqui generis doctissima vocem
Concordare lyrae, teneros componere versus,
Mollibus apta pedem choreis gratissima Phoebo.
Nec minus ingentis clypei pater optimus orbem
Imperat afferri; caelata refulget in auro
- 215 Arcadis effigies, cognati sanguinis index
Somniferamque gerit virgam pictumque galerum,
Haud procul hinc pulchra pugnans pro virgine pulcher
Acrisioniades talaria gestat et harpen
Concedente deo squamosaque colla ferocis
- 221 Falcato secat ense ferae vinclisque puellam
Liberat et victor secum fert praemia pugnae.
Sic igitur senior iuvenem felicibus armis
Instruxit, quibus ipse securigerumque Macheten
Saxaque multiplici torquentem immania funda
- 225 Ischyron et clava pugnantem Acheronta peremit,
Quos tunc paene puer Sicala de stirpe Cyclopum
Aequore transmissis, qui caedibus atque rapinis

- Cuncta infestabant, Barcaeis victor in oris
 Straverat et magno populos terrore levarat.
 230 His Diomedei gregis ortum semine donis
 Addit equum primo carpentem gramina lustrò
 Ornatum phaleris atque aurea frena superbo
 Mandentem morsu, qui par tibi, Cyllare, forma
 Aequabat candore nives et cursibus Euros;
 235 Victor enim Alcides, immani rege perempto
 Postquam dira feros armenta relinquere mores
 Compulit ac fontes potare et gramina pasci
 Edocuit tot dura truci mandante tyranno,
 Formae insignis equam numero sibi legerat omni,
 240 Threicium quae passa marem vicinaque partu
 Traditur Atlanti dono. Dehinc sanguinis huius
 Progeniem fama est ipsos aluisse nepotes
 Ac Lunae signasse nota, qua maximus Atlas
 Usus erat quondam astrorum caelique peritus:
 245 Ipse quoque, hostili quo se tueatur ab ictu,
 Armatur bellator equus cornuque minaci
 Formidanda gerit celsa velamina fronte.
 Iamque resurgebat terrasque reliquerat imas
 Antipodum rubicunda dies; longaevus alumnus
 250 Armarat lacrimans iterumque iterumque monebat
 Complexusque pios non siccis pauca loquenti
 Luminibus dabat et grates ob munera agenti
 Ac fore se meriti memorem, dum vita maneret,
 Spondentem emittit porta et comitatur euntem.
 255 Ille solum linquens natale atque Africa regna
 Cognatos inter procures, quos fortis alebat
 Gallia subversis Maomethi turpibus aris,
 Floruit ac sponsae regalis honore superbus
 Protulit illustri claros de stirpe nepotes,
 260 Unde ortum perhibent nostros deducere reges.
 Quartus enim, raris alludens crinibus aetas
 Quem tunc blanda senis Calvum cognomine dixit,
 Carolus imperium post haec suscepit avitum.
 Artibus hic belli pacisque instructus ad oras
 265 Venerat Italiae Romam accessurus; at inter
 Delectos comites pietate insignis et armis
 Obicius de fratre nepos loca prima tenebat.
 Dumque moram traheret Patavina Calvus in urbe,
 Fertur Atestinam sub amoenis collibus arcem
 270 Multa inter iuveni egregio praeclara dedisse.
 Hinc perhibent genti cunctis memorabile terris
 Nomen Atestinae impositum, quam nominis huius
 Mutata parte Estensem dixere minores.
 Tres igitur gentes olim ceu foedere quodam
 275 Inductae ex Asia, Europa Libyaque creandis

Principibus coiere meis summoque deorum
Consilio Estensis late stirps condita regnat.
Forsitan et quaeras, magni Iovis unde ministram
Gens ea portet avem, quae rostro armatur et uncis
380 Unguibus atque alas ingentes candida pandit.
Hanc Phryges illato superis Ganymede ferebant,
Haec quoque magnanimis gestanda nepotibus ipsi
Signa reliquerunt Troes, quibus aurea miscent
Lilia, cognatae monumentum nobile gentis.
385 Nec non Sismundi nova munera Caesaris addunt
Nigrantes aquilas : fulvum nanque ante leonem
Maximus Aglantes dederat, Phoenicia dextro
Qui pede verba notis gestat signata Latinis,
Quae contra impavido suadet procedere passu.

E LIBRO V.

Albertus marchio.

Parte alia Albertus grati memorabile donum
Pontificis populo ostendit concessaque iura
Parietibus templi sacris affixa leguntur.

TITUS VESPASIANUS STROZZA

BUCOLICON LIBER

ECLOGA I.

Collocutores :

Zephyrinus, Orionus et Chronidon senex.

Zephyrinus

Frigidus intepuit Zephyris ubi mollibus aer
Et rediens virides, Chronidon, ver protulit herbas,
Pomposiae lucos et apricae pascua Cellae
Liquimus et simul huc armenta reduximus ambo.
5 Nunc placida ambiguas nobis discordia mentes
Distrahit, ultra magis pars sit laudabilis anni,
Alter enim ex nobis hiemem, contrarius alter
Aestatem praefert, neque adhuc convenimus : hanc nos,
Docte senex, cupimus dirimi te iudice litem.

Chronidon

10 Gratulor adventu, Zephyrine et Orione, vestro,
Quos meus absentes huc saepe vocabat Iolas.
Difficile est causae, de qua contenditis ambo,
Iudicium ; id vero ad pastoria munera partim
Et partim ad durum agricolam spectare videtur.
15 Ut potero tamen et quantum experientia rerum
Porriget, ex aliis et quae mihi dicta recordor,
Commemorans aliquid breviter neque inutile tangam.
Sub patula mecum interea considite quercu,
Proxima dum vobis pascentes gramina tauros
20 Hic retinent ; mihi servat oves crinitus Himellas,

Orionus

Grata mihi, Chronidon, sunt haec certamina, cum rem,
Discere quam cupio, per te cognoscere possim
Atque loqui tecum liceat, quem cernere coram
In primis laetor, quem nostrum observat uterque.

Chronidon

25 Haud aliter, pueri, quam si mea Delia quondam
Vos peperisset, amo, quicum felix sine lite
Ferme annos quadraginta et bis quatuor egi.
Mensis enim tantum huic summae, quam diximus, unus

- Defuit atque omne id spatium mora parvula visum est :
 80 Tantum amor atque fides potuere atque illius omni
 Labe carens animus solersque industria cunctis
 In rebus nec parca nimis nec largior aequo.

Zephyrinus

- Saepe quod inter vos concordia tanta fuisset,
 Mirantem nostrum memini me audire Cicadam.
 85 At, tua cum nupsit tibi Delia, quae fuit aetas
 Amborum ? Nanque id se ait ignorare Cicada.

Chronidon

- Altera ter quinas supra se ostenderat illi,
 Quae mihi messis erat trigesima. Nos socer Ilus
 Cardellusque parens taeda iunxere iugali.
 40 Illa mihi septem peperit fecunda puellas
 Atque decem pueros, quorum de semine laetor
 Factus avus proavusque gregem numerare nepotum,
 Quis mihi sum visus nascentibus ipse renasci
 Rursus et exuta mea membra novare senecta.

Orionus

- 45 Estne diu, moriens, Chronidon, quod te illa reliquit ?

Chronidon

- Heu, heu bis decies iam tellus protulit herbam,
 Ex quo morte tua tristem, carissima coniunx,
 Liquisti Chronidona. Dies ea semper acerbi
 Plena doloris erit, qua tu mihi, Delia, rapta es,
 * Teque sequi ac tecum requiescere protinus opto,
 Fida tori socio atque domus custodia nostrae.
 Sed super his satis est, ad rem nunc ipse revertor.
 Quatuor esse ferunt diversa volubilis anni
 Tempora : ver primum est, huic proxima labitur aestas,
 * Cum mox autumnus succedit, hiemsque suprema est.
 Ut reor, his natura magis mirabile nullum
 Finxit opus, proprios et habet pars quaeque labores
 Ac proprios fructus, quod vos sic esse videtis.
 Ecce novi pingunt florentia rura colores,
 * Nunc folia arboribus rediere et gramina campis,
 Nunc variis avium purissimus obstrepit aer
 Cantibus et Zephyri blandum sonat aura tepentis.
 Iamque lacertosi nudato corpore agrestes
 Certatim curvis incidunt falcibus herbas.
 * Per thyma, per cytisos, per origana perque comantem
 Thymbram atque arboreos flores roremque marinum
 Ecce vagantur apes ac mellis munera fingunt.
 Quam iuvat errantes acri comitante molosso

- Cernere oves, lusus pastorum et carmina mille
 70 Mugitusque boum saltus audire per altos,
 Per nemora et valles, per ripas fluminis, unde
 Aemula responset geminatis vocibus echo! ?
 Illa sed in primis pastori grata voluptas,
 Cum satura e pastu redeunt armenta gregesque,
 75 Nota, videre simul, properent ut ad agmina matrum
 Saltantes foetus et rictibus ilia pulsent,
 Quo vena sese lac uberiore resolvat.
 Aversos matres mulcent et corpora linguis
 Fingunt atque cavent, ne quid lactentibus obsit.
 80 Id quoque iocundum visu est et quod mihi risum
 Saepe movet, pingues elatis clunibus haedi
 Lactea prociduis avidi cum pocula sugunt
 Innixi genibus. Nec cessant volvere caudas,
 Nec minus ad multram pecudes lectaeque iuvencae
 85 Ordine quaeque suo veniunt tritoque palati
 Summa fricat blandus pastor sale et ilia tractat,
 Munere quo captae discant parere libenter,
 Nec dulcem renuant palmis praebere liquorem,
 Unde manu pressus solidum formetur in orbem
 90 Caseus aut domini gratos servandus in usus,
 Aut magnam, quotiens opus est, portandus ad urbem
 Velleribus spoliatur oves; hinc dicere lanam
 Maialem agricolae veteri de more solemus.
 Nec longa accedet mora temporis: arva colonus,
 95 Quae serat autumnio veniente, haud segnis arabit,
 Sed saturata fimo exercere novalia saepe
 Vomeribus prodest et inertes frangere glebas,
 Expurgata priusquam credat semina terrae.
 Haec ego de multis ad rem spectantia carptim
 100 Perstrinxi de vere loquens; nunc caetera dicam.

Orionus

Dulcibus haec adeo, Chronidon suavissime, dictis
 Pingis, ut efficiar laudator veris amoeni,
 Ut me primus honos illi sit iudice semper.

Chronidon

- Fistula si tantum auditur de pluribus una,
 105 Quisquis eam reliquis praeferet, non iudicat aequae.
 Tu quoque tris alias partes cognosce, priusquam
 ludicium facias de rebus, Orione, tantis.
 Prosequar hinc, aliis quod mensibus afferat aestas,
 Qua nobis opus est ad nostrae commoda vitae.
 110 Primum igitur, pueri, nemo ambigit esse calorem,
 Qui veluti crudam rerum, quas terra creavit,
 Materiam coquat et succos maturet acerbos.

- At calor a rapidis, ut rentur, accipit ortum
 Solibus et, quoniam lux tempore longior illo est,
 115 Nec mitis gelidis Aquilonibus intonat aer,
 Solem etiam plus posse putant aestate coloni.
 Idibus a Maiis primum incipit et, nisi fallor,
 Ut Baptista refert quosdam cecinisse poetas,
 Post bis terque dies Augusti desinit aestas.
 120 Tunc matura seges gravidis canescit aristis
 Quaeque galeritus ferro secat hordea messor
 Aestibus in mediis; nocturno humentia rore
 Ante diem ligat et sulcis culmata reponit.
 Spicarum ingentes quis non laetetur acervos
 125 Compositis campo in numerum spectare manipulis?
 Laetitia maiore tamen, cum plena videmus
 Horrea collecto variarum semine frugum,
 Afficimur plenaque famem contemnimus arca.
 Altera se nobis etiam spes mensibus iisdem
 130 Offert atque alios ducet mutata colores
 Inque racemosis mitescet vitibus uva.
 Pomorum innumeras species (ut nostis) habemus
 Nominibus distincta suis variique coloris,
 Aestivos quorum pars tunc matura calores
 135 Temperat et gratis humectat corpora succis,
 Pars, Autumne, tuas, tibi crescit adusque, pruinas
 In matrum perstat ramis alimentaue sumit.
 Hactenus aestatem; percurrere caetera me sol
 Ad mare iam properans vetat et discedere suadet.
 140 Cras, ubi noster aget pecudes in pascua Sardus,
 Huc adero et, nisi rem iocundam audire molestum
 Ducitis, expediam, pueri, quod sentio, paucis.

Zephyrinus

Ut libet, o Chronidon. Quis enim tibi deneget aures?
 Hic quoque non minus id cupit, ut cognoscere possum.

Orionus

- 145 Immo ego nil optem magis et vix credere fas est
 Te praeter nostris quenquam in regionibus esse,
 Tam bene qui varias fecundi noverit anni
 Commemorare vices et grandia dicere dona.
 Hic nos invenies, quacunque adveneris hora.

Chronidon

- 150 Surgite! Polliciti non immemor ipse redibo.

ECLOGA II.

Collocutores :

Orionus, Zephyrinus et Chronidon senex.

Orionus

Ecce senex Chronidon vectus per prata Gilonis
Calcibus et stimulo, Zephyrine, fatigat asellam
Atque tener matris sequitur vestigia pullus.

Zephyrinus

Est ita. Nonne vides, concussa vastus Himellas
5 Ut virga propellat oves ? Ut sibilet, audi.
Horrendo clamore vocans Poneronque Lycumque !

Orionus

Nunc hominem primum video, nam, dum ante loquebar,
Nondum transierat queruli vineta Cicadae.

Zephyrinus

Cantharus a laeva pendet qui maximus illi !
10 Utrum credis aquam an vitis redolere liquorem ?

Orionus

Extremum potius reor et, nisi tu id quoque sentis,
Est tibi Santonico textus de vellere amictus.
At nos ecce rudens Chronidonis asella salutat
Descenditque senex stimuloque innititur et nos
15 Aspicit. O Chronidon, venisti in tempore. Salve !

Chronidon

Vos quoque. Venissem citius, Lumbardus et Acros
Me tenere diu veterem Styliconis ad ulmum,
Hic me de thalamis natae dum consulit, ille
De bovis affecti graviter dum plurima morbo
20 Conqueritur mecum atque aliqua petit arte mederi.
Sed nos illa vocant frondosae umbracula quercus
Et minor est sedisse labor, quam currere fessis,

Orionus

Haud secus est ; sed tu promissum perface munus !

Chronidon

Huc me nil aliud produxit, Orione, verum,
35 Qui super his vult scire loqui, vel multa, necesse est,
Viderit ac longo res ipsas calleat usu
Vel non obtusis aliorum dicta retentet

- Sensibus ; hac ego sum, qua vos, aetate, videtis.
 Sed tamen et iuvenes audire et discere ab illis,
 20 Quae meliora puto, mihi non reor esse pudori.
 Quae vero ingenium agricolae superare videntur,
 Illa mihi, nam sum iam pridem cognitus illis,
 Ripaque castellusque solent narrare neque unquam
 Quartisanam adeunt, quin mecum multa loquantur.
 25 At pater Autumnus, qui dura fatiget agrestum
 Corpora, subsequitur. Quam primum aestate fugata
 Utilis et gratus labor hic et saepe vocandus
 Supplicibus votis hilarat ditatque colonos.
 Nanque immaturae quicquid restabat in agris
 30 Frugis adhuc, metitur tritumque in tecta refertur
 Linaque decusso iam pridem semine et ante
 Vel mollita Padi fluvio vel inertibus undis
 Verberibus crebris feriunt versantque puellae
 Et domita enervant late crepitante crotillo
 35 Perfinguntque pares nulla non arte maniplos.
 Tonsa comas iterum tunc ponere prata iubentur
 Longaque complentur secto fenilia cordo,
 Quin et ab immiti gentes Aquilone remotae
 Nudant rursus oves et ab urbibus aera reportant.
 40 Tunc quoque conficitur vindemia coctaque tandem
 Solibus ipse legi gaudet sua munera Liber
 Despectatque libens viridi de vertice Nysae
 Corniferam pubem et spumantia dolia musto.
 Saepe mihi gratas libo dedit uva recenti
 45 Consociata dapes ac regum fercula vicit.
 Connexis eadem filo suspensa racemis
 Non nunquam servatur, honos et gratia mensae,
 Nec minus aut igni siccatae aut sole reponunt
 Vimineis calathis, puerorum obsonia, matres.
 50 Ecce vocat tellus iaciendis culta colonos
 Seminibus ; pellenda omnis tunc pectore toto
 Segnities ; ea cura boves hominesque fatigat,
 Ignavos ne dura famas dehinc vexet agrestes.
 Interea nostras, si fas est dicere, mentes
 55 Impia cura tenet, sed, quanvis impia, non est
 Aspernanda tamen rituque inducta vetusto
 Durat et humanos multum utilis adiuvat usus.
 Nam quis apes mundo caelestia dona ferentes
 Perdere et insontes crudelibus urere flammis
 60 Non putet indignum nihil unquam aut parva petentes ?
 Nos imitanda tamen maiorum exempla putemus ;
 Protinus effractis alvearibus atque perempta
 Pube suis pariter cum regibus atria pandunt
 Et scrutantur opes, studium quos mellis habendi
 65 Detinet avulsosque favos cellasque vacantes



- Asportant tecti saccis capita, ora manusque,
 Ne qua superveniens cognatae funera gentis
 Ulciscatur apes, tantus dolor iraque laesas
 Accendit cupiuntque mori, dum vulnera ligant.
 80 Ergo omnem praedam agglomerant in vase saligno
 Congestamque diu volvunt simul atque revolvunt
 Fustibus et cera fragrantia mella relictā
 Destillata cadis mox excipiuntur ahenis
 Et, quae mixta prius fuerant, discreta recondunt.
 85 Nemo decens gratumque neget pendentia ramis
 Cernere poma suis, quae singula dicere longum est,
 Tot genera insurgunt, quae non ignara colendo
 Exuere ingenium silvestre industria cogit.
 His igitur lectis grandis cumulamur acervos
 90 Et largas imitamur opes fruiturque repostis
 Turba domi et partim Sterutius emptor ab urbe
 Accipit aere dato et partim largimur amicis.
 Divitis autumnī non enarrabilis ulli
 Copia me longo nimium sermone teneret :
 95 Instat hiems partisquē suas nunc poscit, ut aequum est.

Zephyrinus

Ne pigeat, Chronidon, paucis me audire, priusquam
 Progrediamur : an est hyemi quoque gratia talis,
 Debeat ut merito conferri partibus istis ?

Chronidon

- Non equidem affirmo, nanque altius ista requirunt
 100 Iudicium magnis caeli rata legibus olim,
 Nec, Zephyrine, nego ; teneat, quod quilibet optat,
 Ast ego propositum nunc exequar. Illud aquosae
 Nos hiemis quanquam Boreali turbine caedit
 Impulsum frigus squallentiaque asperat arva,
 105 Non contemnendum tamen est, nam semina terrae
 Credita corrumpi et parvis animalibus escam
 Esse vetat glacieque solum durescere cogit,
 Materna donec viridis seges exeat alvo,
 Quam nivibus quis ali tectam neget atque foveri.
 110 At juvenum varius plerunque exercita campis
 Membra labor docet immites contemnere ventos
 Hibernumque gelu et stellati frigora caeli.
 Interdum rigida prosternitur alta securi
 Ingentemque cadens late dat silva fragorem ;
 115 Interdum evulsis radicibus aspera dumis
 Gaesa ferunt humero et tectis virgulta reponunt
 Et modo tellurem fodiunt scrobibusque receptas
 Humentis prohibent campo regnare paludis
 Et modo, quo valeant saturare novalia, totis

- 120 Egeritur stabulis fimus et cumulatur in unum.
 Esse locos perhibent, vites ubi mensibus iisdem
 Ablaqueant ferroque putant, nos remur utrunque
 Vel melius fieri autumnno, glacialia vel cum
 Frigora desierint paulatim vere propinquo.
- 125 Quod si mitis hiems erit, exercere licebit
 Putre solum tempestivum et nonnulla colonus
 Impiger excultis mandabit semina campis,
 Ni situs ac regio terrae non aequa recuset.
 Si vero agricolam duri inclementia caeli
- 130 Terret et assiduos detorquet Iuppiter imbres
 Nec sinit, ut campos valeat peragrarare natantis,
 Multa domi peraget, quibus uti in tempore possit,
 Frigida ni tardis ignavia sensibus obstat.
 Nec manus interea mulierum sedula cessat
- 135 Nentque suuntque parantque cibos mensasque colonis
 Atque olera impinguant larido gutturque suillum
 Adiciunt et vina cadis Dyrrachia promunt.
 Quos ubi cogit opus nox linquere, grandibus ignes
 Protinus instaurant lignis et corpora curant;
- 140 Circunfusa loco puerorum garrula turba
 Dulcibus oblectat rixis matresque virosque.
 His quoque temporibus mos est occidere querna
 Glande saginatos melcaque et furfure porcos
 Et sale conspersos in clauso ponere, donec
- 145 Duratos tepidi moneant abstergere soles.
 Delectas mulctrae iuvat ad praesaepia iunctas
 Plena videre boves; nunquam mihi somnus initur,
 Quin iubeam fieri, quicquid pecus omne requirit.
 Est aliud pecoris, velut istud, Orione, vestrum est
- 150 Assuetum nemori genus. Id neque clauditur ullis
 Pascendum stabulis nec brumae tempora curat,
 Nec super hoc sermo a nobis nunc ullus habetur.
 Sunt, qui corporibus conducere frigora nostris
 Affirment, quoniam siccetur inutilis humor.
- 155 Dixerat haec alius certis rationibus, at me
 Longa dies ususque docent varium omnibus atque
 Multiplicem naturae habitum mortalibus esse
 Nec semper cunctis conferre animantibus anni
 Tempus idem. Haec praeter possem quae dicere, multa
- 160 Occurrunt, ea ni me in longum singula ducant.
 Sed tamen haec summa est, quae diximus omnia per se
 Esse bona; alterius verum pars altera partis
 Indiget auxilio, membris e pluribus unum
 Perfectum ut fieri queat et mirabile corpus.
- 165 Nunc satis haec nobis faciant atque, omnia si non
 Explicui, moles rerum, quae immensa petebat.
 Respiciite ad mentem potius, quam ad verba loquentis.

Inter oves interque boves nutritus et unco
 Frugiferam solitus tellurem vertere aratro
 170 Iudicium hoc aliis tanta de lite relinquo.

Zephyrinus

Non minus his dubiis teneor sermonibus, ante
 Quam fuerim nec, quam deceat proponere partem,
 Sic omnes simul extollis, discernere possum.

Orionus

Haud aliter, Chronidon, mihi contigit et tibi tantum
 175 Agricolae tribuunt merito et Pan diceris alter.

Chronidon

Si mea ludendo non aspernabile quicquam
 Garrulitas, pueri, vobis perstringere visa est,
 Non mihi, sed sit honos ipsis et gloria rebus
 Maxima, quae cuivis dant argumenta loquendi.
 180 Sed pastas ad flumen oves invitat Himellae
 Fistula. Saltantes ut eant per prata, videte!
 Nunquam ego custodem vidi mercede paratum,
 Tanta gregis cui sit commissi cura, neque alter
 Maiore exequitur studio, quaecunque iubentur,
 185 Sed crimen putat esse famem tolerare sitimque
 Et, ne peccet in hoc, semper sibi consulit heros.
 Nunc, quo tendit iter, videamus eumque sequamur!

Zephyrinus

Fiat, ut ipse iubes; tu, quo nos pergere cernes,
 Pascentes illuc agito, Peruchine, iuencos!

ECLOGA III.

Collocutores:

Albicus et Tribalus.

Albicus

Mopsile, dic Tribalo, cum venerit, omnia recte
 Isse mihi et nostro me verba dedisse Cicadae.
 Nunc ego praecedam, quo diximus. Ocius adsit;
 Fac, properet. Sed eum video, nisi fallor, et ad nos
 5 Sibilat. Huc, Tribale, accedas, iam tempus eundi est.

Tribalus

Ecce adsum et, quid tu, nam post vineta latebam,
 Egeris utque senem modo luseris, Albice, novi.
 5 Haud aliter decuit teque hoc crimine solvo.

Albicus

- Quid facerem? Totum ille diem res mille iubendo
 10 Occupat et minimae spatium mihi denegat horae,
 Sponte quod ipse mea liber componere possim.
 Mercedem quanvis duplicet mihi, non tamen illic
 Altera musta bibam. Quid enim inclementius illo?
 Huic me servitio penitus subducere certum est.

Tribalus

- 15 Mene putas queruli mores nescire Cicadae?
 Sed tamen id vitium senibus commune videmus,
 Ut stimulent iuvenes, et ab uno discimus omnes.

Albicus

- Haud ita, nam multi ignoscunt iuvenilibus annis,
 Dum res non pereat litesque et iurgia vitent.
 20 Aspice nunc, quanto Chronidon regat ordine totam
 Cardellinorum stirpem atque armenta domumque.
 Omnia sunt illi curae, sed mitis et atro
 Felle carens iuvenum a lusu non semper abhorret.
 Atque hic centenas hiemes totidemque peregit
 25 Aestates, vidit Blancos et Portia bella
 Et vidit quinos diverso in tempore reges
 Estensi de gente satos, quos nominat ipse
 Et quam multa refert. Vetus illa et in aethera tendens
 Populus in trivio, quam cernimus, ipsius olim
 30 Parva manu posita est et iam tunc ibat in urbem
 Et norat tractare boves et prata secare.

Tribalus

Sic perhibent, sed ver non una reducit hirundo.
 Quot similes illi, spectes licet omnia circum,
 Quartisana dabit? Rara haec sunt munera divum.

Albicus

- 35 At quisquis feret importuni dira Cicadae
 Taedia, sex idem poterit tolerare novercas:
 Nunquam oculis, nunquam ore manuve aut mente quiescit
 Et, ne falsa putes me fingere, si placet, audi,
 Ut nos exagitet, nunquam ista ut fabula cesset.
 40 „Quas modo partiti, pecudes, sumus, ocus“ inquit,
 „Ad Tusios, pueri, et Pinguellos ducite Gualdum;
 Signatas viridi Tusiis minioque rubentes
 Tradite Pinguellis; sed ter numerabitis ambo.
 Tunc Conam petite et nostrum disquirite taurum,
 45 Quem Thimelina refert Dulceti armenta secutum.
 Inde revertentes Codream protinus ite
 Et, quae puppe sua vexit Parolinus ab urbe,

- Vascula ferte domum. Fellano dicite post haec,
 Ut tripodas tandem et mensam et mantilia reddat.
 50 Sat tenuit; septem post connubialia festa
 Praeteriere dies et iam nova nupta pudorem
 Obtulit ante aram et canibus iam nota mariti est.
 Ite citi ac reditum citius properate. Nec ulla
 Vos mora detineat, nam multa negotia restant.
 55 Lectus erit pecori palea sternendus et illa
 Perficienda boum circa praesaepia saepes."
 Plura etiam dicturus erat, me limine furtim
 Proripui. Nunc ad Zanios properabimus ambo,
 Nanque rudes illic stuppas mea pectere Lyda
 60 Dicitur ac dulci Sirenas vincere cantu.

Tribalus

Laudo equidem; tu vero aliquid potes ire canendo,
 Albice, quale soles, Musis et Apolline dignum.

Albicus

- Sic faciam, sed nec Rosabella nec ille triumphus
 Nunc mihi carmen erit, viridis quem frondea Gipsi
 65 Cantat Apollineis nymphis per devia poemen.
 Verum ego, quae mecum nuper meditata notavi
 Cortice populeo, tibi nondum cognita dicam.

Tribalus

- Incipe, nil cupio magis. Ecce audire paratus
 Ipse tibi se offert discussis nubibus aer
 70 Et placata silent immitis murmura venti.

Albicus

- Lyda, puellarum numero formosior omni,
 Lyda, meus Titan, mea Cynthia, cuius ocellos
 Invidet astrorum purissimus ardor et aethra.
 Esse deam quis te, mea lux, neget? Omnia, toto,
 75 Cui simul arident, quae pulchra videntur in orbe.
 Quicquid hiat florum, tibi nascitur ipsaque veris
 Gratia mille tibi pingit per prata colores
 Atque in honore tuo gravidas canescere aristas
 Sicca sub assiduis laetatur solibus aestas.
 80 Dives poma tibi autumnus largitur et uvas,
 Te deponit hiems gelidum praesente rigorem
 Atque illic Zephyris spirantibus horrida saevi
 Mitescit rabies Aquilonis et aspera cessat
 Quam primum aspectu tumidi maris ira benigno.
 85 Quodque silere libet, tenero tibi semper in ore
 Nascuntur violae atque rosae, quibus abdita furtim
 Condit apis succum, qualem non protulit Hybla.

- At tu, dum faciles inter pulcherrima nymphas
Ludis, in absentem nunquid suspiria mittis
90 Meque vocas, unam qui te tuaque omnia laudo ?
Haec est quarta dies, ex quo nec cernere vultus,
Lyda, tuos potui, nec vox ea venit ad aures,
Gratior Heliadum foliis quae insibilat aura.
Tu quanvis nunquam non sis formosa, tamen, cum
95 In triviis longe saltas caput ipsa choreae,
Pulchrius esse nihil reor et tibi vinceris uni.
Ludere nunc video crispas ad tempora crines
Mollibus insertos violis et suavi amarantho ;
Nunc tuus ille mihi sese offert plenus odorum
100 Mille sinus, cupidis quos naribus undique capto.
Verba quoque et nutus memini, quibus uris amantem,
Et, licet hinc absis, de te mihi plurima fingo
Assiduusque meis versatur in ossibus ardor.
Haec sunt, quae potui breviter meditatus in illam,
105 Quae si forte novis praeberet laudibus aures,
In lucem venient, quae pectore condita servo.

Tribalus

- Non, ubi longa fames ieiunum tempore veris
Me stimulat, tepido cum lacte recentia tantum
Liba iuvant frustumve suis, quod flamma perussit,
110 Lucida nec tantum fontanae pocula lymphae
Grata forent calidis sitibundis faucibus aegri,
Nec tantum Scoculae dulcis placet humor lacchi,
Quantum nostra tuo mulcentur pectora cantu ;
Nec mortale sonas, quin, si contendere tecum
115 Pan velit, et par es calamis et versibus illi.
Sed iam in conspectu domus est foribusque Galanthis
Egreditur Lydamque tenet ridentque vicissim.
Nos procul agnovere manuque vocamur. Eamus !

ANNOTATIONES CRITICAE.

n. m. : nota marginalis — *om* : omittit

Borsias. — *Tit. Titus—Herculem*] Ad divum Herculem origo Estensium principum ex Titi Strozae Borsiae excerpta — 4. spacio — 18. Littoreos — 23. littora — 44. solatia — 96. nequicquam — 117. Amphitritoniades — 118. Anthaeo — 139. solatia — 147. coniux *corr.* ex coniunx — 167. spaciis — 174. columnam — 178. trophaeis — 179. celabit *corr.* ex caelabit — 193. Hyarbe — 196. Phaenicibus — 202. argento — 204. Maurusi *corr.* ex Maurusii — 214. celata — 225. Hischyron — 226. pene — ad 289. *n. m.* VVORBAS

Bucolicon liber. — *Tit. Titus—liber*] Iesus. Titi Vespasiani Strozae poetae [insigni]* buco. liber

I. — *Tit. Ecloga—Collocutores*] Egloga prima. Colluquutores — 7. hyemem — 14. agricola — 23. liceat liceat — 38. Que — 40. faecunda — 51. thori satio — 55. hyemsque — ad 59. *n. m.* De vere — 67. melis — 102. amaeni — ad 110. *n. m.* De aestate — 119. bis *om.* (*corr.* Della Guardia secundum Varronem [Rer. Rust. l. I. 28.]) — 121. ordea — 126. Laetitia — 127. colecto — 141. iucundam — 146. preter — 147. faecundi — ante 150. Chronidon *om.*

II. — *Tit. Ecloga—Zephyrinus*] Egloga secunda. Colluquutores : Orionus, Zephyrus — ante 1. Orionus *om.* — 4. Hymellas — 8. Nundum — 9. Cantharon — ad 35. *n. m.* De autumno — 47. chordo — 55. Consotiala — 76. sacis — 80. predam — 82. caera — 95. hyems — 97. hyemi — 100. caeli *in corr.* — ad 102. *n. m.* De hieme — 103. hyemis — 110. exercicia — 112. Hybernumque — 121. prohibent — isdem — 125. hyems — 136. guttiaque — 137. Dyrachia — 143. melicaque — 146. mulctre — presepia — 159. praeaeeter — 171. tenor — ante 176. Chronidon *om.* — 181. Tystula — 185. famen tollerare

III. — *Tit. Ecloga III.]* Egloga sexta. — 3. Ocious] acius — 32. irundo — 36. Tedia — 40. partisti — 49. mantillia — 50. conubialia — 51. Preteriere — 56. praesepia sepes — 59. Lida — 62. Appoline — 63. triumph — 65. Appolineis — paemen — 71–72. Lida — 78. honore] ore — 81. hyems — 82. Zephyris — orrida — 95. longie — 112. Hyachi — 116. Gallanthis — 117. Lidamque

* Folium rimosum est.

INDEX NOMINUM.

Numeri crassi (1—3.) eclogas notant.

- Acheron** 225.
Achilles 124.
Acrisioniades (Perseus) 218.
Acros 2, 16.
Aeneas 124.
Africa regna 255.
Agenor 209.
Aglantes 36, 47, 287.
Albertus marchio, Bors. lib. V. v. 1.
Albicus 3, tit, 7, 62.
Alcides (Hercules; v. Amphitryoniades) 235.
Amphitryoniades (Hercules; v. Alcides) 117.
Anguis lunonius 71.
Antaeus 118.
Apollineae nymphae 3, 65.
Apollo (v. Phoebus) 3, 62.
Aquilo 3, 83.
Aquilones 1, 115.
Arcas (Mercurius) 215.
Arctos 69.
Arcturus 68.
Argolicae flammae 7.
Asia 275.
Atestina arx 269. — gens 272. — stirps 2.
Atlas (duo) 48, 49 (bis), 83, 93, 102, 105, 118, 205, 241, 243.
Augustus (mensis) 1, 119.
Autumnus 1, 136, 2, 35.
Bacchus, v. Iacchus, Liber
Baptista 1, 118.
Barcaeae orae 228.
Belfortes 12, 25.
Blanci 3, 25.
Bocchus 204.
Bootes 66.
Borealis turbo 2, 103.
Borsius Estensis dux 164.
Caesar Sismundus 285.
Calvus (v. Carolus) 262, 268.
Cardellini 3, 21.
Cardellus 1, 39.
Carolus rex Gallorum (v. Calvus) 31, 32, 263.
Carthago 41.
Cella 1, 3.
Chronidon 1, tit, 2, 21, 45, 48, 101, 143, 2, tit, 1, 13, 15, 96, 174, 3, 20.
Cicada 1, 34, 36, 2, 8, 3, 2, 15, 35.
Codrea 3, 46.
Cona 3, 44.
Corinthiacum metallum 181.
Cyclops 226.
Cyllarus 233.
Cynthia (Diana) 3, 72.
Delia 1, 25, 35, 49.
Diana, v. Cynthia.
Diomedeus grex 230.
Dulcetum 3, 45.
Dyrrachia vina 2, 137.
Eridanus 155.
Estenses principes tit. Estensis gens 273, 3, 27. — stirps 277.
Euri 234.
Europa 275.
Fellanus 3, 48.
Ferraria 168.
Francia tellus 30.
Francus (duo) 9, 12, 29.
Gaetulus iarbass 193.
Galanthis 3, 116.
Galli 13, 28, 38.
Gallia 146, 257.
Ganymedes 281.
Garamantis ara 152.
Gelitia 36.
Gilo 2, 1.
Gypsum 3, 64.
Gratia 3, 77.
Gualdum 3, 41.
Hammon 144.
Hector 9, 123.
Heliades 3, 93.
Herculeae laudes 182. **Herculei animi** 166.
Hercules, v. Alcides, Amphitryoniades.
Hercules Estensis dux, tit, 166.
Himellas 1, 20, 2, 4, 180.
Hybla 3, 87.
Iacchus (Bacchus; v. Liber) 3, 112.
Iarbass 193.
Ibia 208.
Idus Maias 1, 117.
Ilus 1, 38.
Iolas 1, 11.
Ischyros 225.
Italae urbes 150. **Italus orbis** 173.
Italia 265.
Iunonius Anguis 71.

- Iuppiter** 278.
Lares 121.
Latia terra 164.
Latinae notae 288.
Leonellus Eslensis dux 163.
Liber (Bacchus; v. Iacchus) 2, 51.
Libya (v. Libye) 275.
Libye (v. Libya) 41.
Libycae gentes 85.
Lumbardus 2, 16.
Luna 243.
Lycus 2, 6.
Lyda 3, 59, 71, 72, 92, 117.
Macedae 122.
Machetes 223.
Maia 50.
Maiae Idus 1, 117.
Malalis lana 1, 93.
Maomethus 257.
Marpesia saxa 133.
Mars 197.
Maurusus Bocchus 204.
Mercurius v. Arcas.
Mopsilus 3, 1.
Musae 3, 62.
Nicoleos 152, 160.
Noti 16.
Nysa 2, 52.
Obicius 267.
Olympus 65, 117.
Orion 75.
Orionus 1, 10, 107, 2, tit, 24, 149.
Padus 2, 42.
Pan 2, 175, 3, 115.
Palatini postes 161.
Parolinus 3, 47.
Pataвина urbs 268.
Pellaeus sanguis 36.
Pergama 7.
Perseus, v. Acrisioniades.
Peruchinus 2, 189.
Phaethonteus Eridanus 155.
Phoebus (v. Apollo) 211.
Phoenicia signa 196. — verba 287.
Phryges 281.
Phrygius labor 207.
Pinguelli 3, 41, 43.
Pipinus 32.
Plaustrum 68.
Pomposia 1, 3.
Poneros 2, 6.
Portia bella 3, 25.
Priamus 26.
Pyracmon 201.
Quartisana 2, 34, 3, 34.
Rissa urbs 38.
Roma 265.
Rosabella 3, 63.
Rugerus 37, 44, 83, 101, 125, 147.
Santonicum vellus 2, 12.
Sardus 1, 140.
Scocula 3, 112.
Scythia 10.
Sicula stirps 226.
Sirenes 3, 60.
Sirius 77.
Sismundus Caesar 285.
Sterutius 2, 91.
Stylico 2, 17.
Teucri (v. Troes) 9.
Thimelina armenta 3, 45.
Threicius mas 240.
Titan 3, 72.
Tribalus 3, tit, 1, 5.
Troes (v. Teucri) 21, 283.
Troiana pubes 24.
Tusii 3, 41, 42.
Tyria Carthago 41.
Tyrus 209.
Zanii 3, 58.
Zephyri 1, 1, 62, 3, 82.
Zephyrinus 1, tit, 10, 2, tit, 2, 101.

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULA XII—XIII.

RM.

P. magister, quondam Bele regis Hungarie notarius, *Gesta Hungarorum*, ed. Juhász. 1932. — — — — — 5.40

SAECULA XIV—XV.

Trevisanus Maior, Zacharias, *Orationes et testamentum*, edd. Bertalot—Gothein. (Excuditur.)

SAECULUM XV.

Barbarus, Franciscus, *Epistolae*, ed. Gothein. (Apparebit.)

— *Orationes. Una cum orationibus ad eundem habitis*, ed. Gothein. (Excuditur.)

Bartus, Nicolaus — Kostolan, Georgius Polycarpus de — Hungarus, Simon — Zagabriensis, Georgius Augustinus, *Reliquiae*, ed. Juhász. 1932. — — — — — 1.50

Callimachus Experiens, Attila. *Accedunt opuscula Quintii Aemiliani Cimbriaci ad Attilam pertinentia*, ed. Kardos. 1932. — 1.70

Hungarus, Simon, v. Barius, Nicolaus.

Kostolan, Georgius Polycarpus de, v. Barius, Nicolaus.

Martius Narniensis, Galeottus, *Carmina*, Juhász. ed. 1932. — 1.80

— *De egregie, sapienter, iocose dictis ac factis regis Mathiae ad ducem Iohannem eius filium liber*, ed. Juhász. (Excuditur.)

— *Epistolae*, ed. Juhász. 1930. — — — — — 1.—

— *Invectivae in Franciscum Philelphum*, ed. Juhász. 1932. — — 2.50

Pannonius, Ianus, *Opera*, ed. Huszti. (Apparebit.)

Philelfus, Franciscus, *Sphortias*, edd. Fögel—Juhász. (Excuditur.)

Ransanus, Petrus, *Epitoma rerum Hungararum*, ed. Juhász. (Excuditur.)

Seneca, Thomas, *Historia Bononiensis. Qualiter Galeatus Marchescottus eques extraxit Hannibalem Bentevolum de carceribus et reliqua per utrumque gesta. Carmen epicum*, ed. Fögel. 1932 1.80

Strozza, Titus Vespasianus, v. Saecula XV—XVI.

Valagussa, Georgius, *Epistolae* ed. Juhász. (Apparebit.)

Vitez de Zredna, Iohannes, *Epistolae. — Orationes*, ed. Juhász. (Apparebit.)

Zagabriensis, Georgius Augustinus, v. Barius, Nicolaus.

Zovenzonius, Raphael, *Carmina*, edd. Fögel—Juhász. (Apparebit.)

SAECULA XV—XVI.

RM.

- Andronicus Tragurinus, Matthaeus, Epithalamium in nuptias Vladislai Pannoniarum ac Boemiae regis et Annae Candaliae reginae, ed. Juhász. 1933. — — — — — 1.—
- Celtis Protucius, Conradus, Ludus Dianae — Rhapsodia, ed. Rupprich. (Excuditur.)
- Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata. Cum carminibus ad orationem pertinentibus, ed. Rupprich. 1932. — 1.30
- Quattuor libri Amorum secundum quattuor latera Germaniae — Descriptio Germaniae generalis. Accedunt carmina aliorum ad libros Amorum pertinentia, ed. Pindter. (Excuditur.)
- Fontius, Bartholomaeus, Carmina, edd. Fögel—Juhász. 1932. — 2.—
- Epistolarum libri III., ed. Juhász. 1931. — — — — — 4.50
- Piso, Iacobus, Opera, ed. Juhász. (Apparebit.)
- Strozza, Titus Vespasianus, Borsias (Fragmenta) — Bucolicon liber, edd. Fögel—Juhász. 1933. — — — — — 1.40
- Verinus, Ugolinus, Carlias, edd. Fögel—Juhász. (Apparebit.)
- Epigrammatum libri VII., edd. Fögel—Juhász. (Apparebit.)
- Panegyricon ad Ferdinandum regem et Isabellam reginam Hispaniarum de Saracenae Baetidos gloriosa expugnatione, edd., Fögel—Juhász. 1933. — — — — — 2.20

SAECULUM XVI.

- Duditius, Andreas, Epistolae, edd. Costil—Juhász. (Apparebit.)
- Opera varia, edd. Costil—Juhász. (Apparebit.)
- Olahus, Nicolaus, Carmina, edd. Fögel—Juhász. (Excuditur.)
- Sambucus, Iohannes, Epistolae, ed. Gerstinger. (Apparebit.)